

Band XI., Nr. 5031, Seite 64-65

*Berthold Roseli von Schmiden Bürger in Esslingen schenkt dem Spital in
Esslingen seine ganze Habe.*

Esslingen, 1297. August 1.

Presentium litterarum inspectoribus universis Berhtoldus dictus Roseli de Smidehain civis in Ezzelingen Constantiensis dyocesis rei notitiam subnotate. O quam felix industria, que terrena didicit pro celestibus permutare. Cupiens itaque cum domino dominorum et cum virgine virginum nec non cum inclita virgine Katherina omnia mea bona pro celesti premio permutare, cunctas meas possessiones apud Ezzelingen in Bytun¹ sitas, item omnes possessiones meas apud Waibelingen intra muros et parrochia constitutos, item sex agrorum iugera apud Smidehain in loco dicto Widach, agris . . dicte Klinchartin ab uno et agris . . dicti Herzoge a secundo latere intersitorum, item duo iugera vinearum apud Korbe in monte dicto Hohrusche vineis Alberti dicti Sigeli ab uno et vineis . . dicti Goze a secundo latere intersitarum, item unum iuger vinearum apud Obernheggebach² vineis . . dicte Lerarin ab uno et vineis . . dicte Kiverin a secundo latere intersitum itemque universa bona mea mobilia et immobilia presentia pariter et futura in nomine sancte et individue trinitatis sub honore dominice genitricis nec non ob venerationem virginis et martiris Katherine hospitali pauperum in Ezzelingen sana mente ac robusto corpore per donationem inter vivos contuli tradidi et simpliciter erogavi cum verborum et gestuum sollempnitate debita et consueta et nichil iuris facti cause vel occasionis michi aut aliquibus heredibus meis reservans in huiusmodi erogato ipsum hospitale facio ipsa donata cum omnibus suis fundis areis edificiis domibus horreis ortis agris pratis plantis vallis silvis aquis aquarum usibus viis inviis iuribus iurisdictionibus et pertinentiis quibuscunque iusto titulo et bona fide perpetim possidere ac etiam obtinere nec licebit cuiquam hominum ope legis vel canonis vel auxilio cuiusvis exceptionis vel defensionis quicquam in contrarium attemptare, presertim cum in genere renuntiationes tum de iure communi tum auctoritate civilegii Ezzelingensis hinc inde fecerim debitas et consuetas et cum in specie voluntati deambulatorie renuntiaverim super eo. Ceterum nos Ruggerus decanus, Marquardus magister civium in Ezzelingen gubernatores hospitalis predicti nosque frater Johannes magister, frater Cünradus cellerarius totaque congregatio fratrum et sororum eiusdem hospitalis non immerito duximus advertendum, quod hiis

¹Beutau.

²Kleinheppach.

II

esse debemus obnoxii, a quibus noscitur beneficia recepisse, omnia memorata donata ipsi donatori in censuale feudum contulimus eo pacto, ut idem donator unam libram cere vigilia festi beate Katherine anno quolibet census nomine debeat exsolvere incunctanter et quod universa donata statim ad prenarratum hospitale transeant post obitum donatoris. Nichilominus ex mera gratitudine per sollempnem stipulationem promittimus firmiter ac districte, quatenus Elizabet filiam donatoris recipiamus in sororem et familiam hospitalis inibi per sue vite spatia remansuram, quandocunque a donatore vel ab ipsa Elizabet fuerimus requisiti. In quorum omnium evidentiam presens instrumentum hinc inde confectum sigillis universitatis populi de Ezzelingen et predictorum gubernatorum placuit communiri et virorum discretorum Friderici sculteti dicti de Hallis, Rudolphi dicti Hasenzagel, Hugonis dicti Nalinger, Ruperhti et Cûnradi fratrum dictorum Rupreht, Truhliebi dicti de Hallis et Alberti dicti Gerter iuratorum de Ezzelingen testimoniis roborari.

 Datum Ezzlingen, anno domini MCCLXXXVII., kalendas Augusti, indictione X.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Von drei Siegeln noch das erste, das der Stadt Esslingen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 169 U 48

Regesten:

ADOLF DIEHL (BEARB.): Urkundenbuch der Stadt Esslingen, 2 Bde., Stuttgart 1899-1905 (Württembergische Geschichtsquellen 4 bzw. 7), Bd. 1, S. 129, Nr. 300.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Aussteller:

Berthold; Roseli von Schmiden

Ortsindex:

Esslingen am Neckar ES
 Esslingen am Neckar Gemeinde (328)
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Kleinheppach Wohnplatz (1426)
 Kleinheppach, Korb, WN
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Korb Wohnplatz (1427)
 Korb, WN
 Schmiden Wohnplatz (1343)
 Schmiden, Fellbach, WN
 Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)
 Schwäbisch Hall, SHA
 Waiblingen Wohnplatz (1628)
 Waiblingen, WN